



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

Pontano, Giovanni Giovano

Venetiis, 1519

Lasciua dicta non decere facetum nec contumeliosa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12960

DE SERMONE

non a faceto solum, uerum etiam ab urbanis & combus esse uolumus, nec tantum autem uerbis, uerum etiam a rerum significationibus abesse obscenitatē oportere Marcus Cicero ostendit, cum ait putare se facetas quidē in narrando consistere, diuinitatē uero in faciendo.

Lasciua dicta non decere facetum
nec contumeliosa.

Quoniam autem tum dicta, tum ridicula ipsa aut lasciuia sunt, aut iucunda, aut contumeliosa, aut lenia acerbā ue ita quidem tenendum censeo, in conuictibus, congressionibus, quotidianoq; in sermone, uix unquam principem uirum, ac grauiorem gerentem personam decere lasciuiam, quæ tamen in hominutionibus ipsis humiliq; in loco constitutis commendari passim solita est, quippe quibus dignitas minime obstat aliqua, nullusq; aut respectus, aut locus. At ioci hilares, iucundi, grati, quiq; animum honeste recreent, uel etiam sacerdotibus conueniunt, quod Prædicatores usurpatissime in dicendo seruant. Contumeliosa non carent intemperantia, atq; iniustitia, aduersanturq; recreationi. Eiusdem naturæ uidentur esse aspera atq; amara, quippe quæ & inimicitias excitent, & causas afferant ciuilibus contentionibus. Deniq; summo id studio euitandum, falsum ne dictum præferamus amicitia, ac tranquillitati, ne ue pluris faciamus dictum, quam amicum & notum hominem.

Cuiusmodi esse debeant fabellarum expositiones.

Fabellarum uero enarrationes, uniuersaq; earum expositio, res ipsa cuius gratia fabellæ sunt inuenta, hortari nos debet, ut cultæ sint, elegantes, uenustæ, concinnæ uerbis maxime accommodatis, sententijsq; cū primis lepidis ac conditis, tum uoce, ac uultu perquam conuenientibus. Narrare solebat auia mea Leonarda, celebris memoriæ matrona, Podagram aliquando sub mulierculæ speciem peregrinantem in rusculum diuertisse, eamq; ubi uidisset casulas inertissime ædificatas, obsitas araneis, squalidas situ, atq; illumie marcidas, conuersam ad pedisse quas dixisse, Apagete a me hospitium hoc sentum, informe, foetidum, fumosum, terrum, apagete diuersorium in quo quid intucare præter marras, bidentes, rastros, a græstiumq; ferramentorum diuersa genera, aut boum, asinarumq; stercoramenta, siue suum excrementa, ac capellarum. Itaq; ualere iubeo & uillas, & tegetes tam sordentis urbs nobis